

faciat non habet. — Consulit marsupium si forte preces illius admitti ualeant — et sine mora exauditur marsupium. Gaudet ad uocem eius sacerdos. — Quid hoc? quem punis? quid peccauit marsupium quod exhauris &c. In fine aliquid deesse videtur; ultima enim sunt: *Plenus uenter facile de ieiuniis tractat.* Rursus subscripta litera R. Multum congruit *Sermo* hic cum quibusdam ejusdem argumenti *Petri Blesensis*, quin tamen in ejus Operibus inueniuntur.

VI. fol. 70. Tractatus mythologicus absque Autoris nomine, cujus Praefatio incipit: *Fabula est cuius libet rei fide narratio. dicitur autem fabula a fundo. fabularum uero alie delectationis tantum. alie exortationis. alie utriusque causa sunt fide. sed illud totum fabularum genus quod solas aurium profitetur delicias a philosophie tractatu semotum in nutricum cunas. i. puerilia poetarum rudimenta eliminatur &c.* Multum congruit Praefatio haec cum ea, quam *Fulgentii Planciadis Fabulis* praefixam in *Cod. Lovaniensi* teste *Revio* in *Historia Daventr.* p. 141. reperit *Jac. Faber Daventriens.* refertque *Th. Munckerus* in *Praef. ad Fulgentium* ante *Auctores Mythographos lat. Lugd. Bat. et Amst.* 1742. 4. concluditurque: *Nos autem penultime fabularum diuisionis illam specularandam speciem proposuimus, quam non iam fabulam sed fabulosam narrationem nominari descripsimus. huius tamen speciei non singulas sed quasdam celebriores utique secun-*

dum ysidorum remigium fulgentium Martianum (Capellam) atque macrobium pro ingenioli nostri capacitate destinauimus aperire. Prius autem unde idolorum uanitas mentibus paganorum irrepsit per ystoriam quam refert fulgentius demonstrabimus. Itaque et a *Diophanto Lacedemonum auctore* narrationem auspicatur, quae definit in *Vulcano et Minerva* iis ipsis uerbis, quibus *Fulgentius L. II.* edit. cit. p. 690. utitur: *aut obliuioni. sicut de Cesare dictum est (Cic. Orat. pro Ligar.) qui obliuisci nichil amplius solet quam iniurias.* Unde mancum uidetur Opus, cujus Autorem non deprehendi.

VII. fol. 94. Incipit liber antiquitatis *flauii iosephi Hystorographi.* Initium: *In principio creauit deus celum et terram. Sed dum terra ad aspectum non ueniret &c.* Excerpta sunt juxta traductionem, quae ab aliis *Rufino Aquilej.* ab aliis *Epiphanio Scholastico,* ab aliis cuidam e *Cassiodori* amicis tribuitur, et cum *L. XVIII. cap. 9.* abrumpuntur, occurrente paullo ante finem celebri illo loco *de Christo.*

CCXXXV. VI. E. 27.

Codex membraneus lat. Sec. 315 X. Folior. nunc 45. f. probe scriptus, et, quantus restat, optime seruatus Fragmenta III. continet. I. est ex *Augustini Libro de diuersis Quaestionibus LXXXIII.* qui in *Edit. Maur. Paris. 1685.* legitur T. VI. col. I. Incipit a uerbis

verbis *Quaestionis LI.* quae in *Codice XX.* est: *quantum est. utique bonum est. sed etiam quia tale est &c.* Vides alio ordine procedere in *Codice* Quaestiones, quam quidem *Augustinus* ipse *Libro I. Retractat. c. 26.* statuerit. Ejus itaque Ordinem cum nostro contendam: LI—XX. LII—XXI. I—XXII. VIII—XXIII. XL—XXIV. XXXVIII—XXV. XXXIX—XXVI. II—XXVII. XXIV—XXVIII. III—XXIX. IV—XXX. V—XXXI. VI—XXXII. VII—XXXIII. IX—XXXIV. X—XXXV. XII—XXXVI. XIII—XXXVII. XXI—XXXVIII. XXVI—XXXIX. XLI—XL. XXIX—XLI. XXX—XLII. XXXI—XLIII. XXXII—XLIV. XXXIII—XLV. XXXIV—XLVI. XXXV—XLVII. XXXVI—XLVIII. LXXVII—XLIX. LXXVIII—L. XLV—LI. LIII—LVI. XLIX—LVII. LXXXI—LVIII. LXXX—LIX. Ab hac *Adversus Apollinaristas* Quaestione in *Cod.* nostro sequuntur Quaestiones XV. ex spurio *Viginti unius Sententiarum Libro*, quem in unico *Coenobii Michaelini* Codice reperit *Mauriani* in *Append. T. VI. col. 1.* referunt. Dabo inscriptiones et initia: LXV. *De Corporis Resurrectione. Excepto eo, quod omnium fide dignum est &c.* LXVI. *Fides Spes Caritas. Fides sine spe et caritate est &c.* LXVII. *Philosophia in tres Partes distribuitur. Moralem. Naturalem. rationalem &c.* LXVIII. *Antequam peccasset Adam. Anima erat rationalis per-*

fecta &c. LXIX. *Casum peccantis. Ex arbitrio libero uenientem &c.* LXX. *Cave putes quicquam esse verius quam omne quod est ex eo esse quod per seipsum est. Et quod summe cum ipso et de ipso est &c.* LXXI. *Quid est homini commune. Cum prima alia animalia mortalia &c.* LXXII. *Non potest sua sponte moueri localiter quod sensu caret. Definitur voluntas ita. Voluntas est animi motus &c.* LXXIII. *Tria sunt genera Virtutum. Primæ ciuiles politicorum &c.* LXXIV. *De Pulchritudine Mundi. Modo si placet auribus aequis &c.* LXXVII. *De Idaeis. Omnis transitus de loco in locum &c.* LXXIX. *De Malo. Notitia enim euidetior boni &c.* LXXX. *De Libero Arbitrio. Nos autem deo iubente &c.* Ad hujus calcem: *Explicit.* Adparet itaque *Quaestiones* has magnam partem ineptas et *Augustino* indignas olim cum genuinis ejus *Quaestionibus* LXXXIII. confusas fuisse. Sed ad has *Fragmento tertio*, quin et sequenti redeundum erit.

II. *Fol. 17. Fragmentum secundum* est ex *Augustini Libris II. Quaestionum Evangeliorum*, qui in *Edit. Maur. T. III. col. 237.* incipiunt. Praeit tamen *Fragmentum* ex *Quaestionibus* *supracit.* LXXXIII. et quidem *Quaest. LVIII. de Johanne Baptista* ab his verbis inchoans: *sine cognitione et sine actione ignava cognitio &c.* Dein procedunt ordine *Quaestiones Evangeliorum* incipiendo ab ea, quae in *Editis* *secunda* est: *Quod discipuli Do-*
mini

mini coeperunt vellere spicas &c. usque ad XIX. five: *Quod Turbae Optulerunt Domino Mutos.* Hic interjecta est ex *Quaestionib. LXXXIII.* illa, quae numero in *Edit.* est LXI. et incipit: *Quinque Panes bordacei &c.* sed non integra. Mox *Quaestiones Evangel.* a L. I. *Quaest. XXXI.* ad XXXIX. resumuntur. Post hanc intercurrunt ex *Quaestionib. LXXXIII.* duae illae, quae in *Edit.* sunt LX. et LIX. Demum *Quaestiones Evangeliorum* a *Fragmento Quaest. V. Libri II.* usque ad finem feliciter decurrunt. Adjacet clausula: *Explicit in Luca.*

III. fol. 38. *Fragmento tertio* resumuntur *Quaestiones LXXXIII.* ut supra monui, et quidem a *Quaest.* in *Edit.* LXVI. cujus abest initium. Numeratur haec in *Cod.* III. atque ut collationem inter *Edita* et *Codicem* superius coeptam prosequar, ita se Numeri habent: LXVII — IV. LXVIII — V. LXIX — VI. Haec vero paullo ante finem in his verbis: *Corporis similitudinem ducens*, abrumpitur. Habes operosum recensum disjectorum membrorum *Augustini*, cujus nomen ne semel quidem toto *Codice* exprimitur. Ut eum non reformidarem, sinceritas et elegantia *Codici* suavit. Qua ratione *Quaestiones* hae adeo inter se misceri et confundi potuerint, ex ipsius Autoris L. I. *Retractat.* c. 26. et *Prologo in Quaest. Evangel.* facile desumes.

Denis Codd. mss. theol. Bibl. Palat.

CCXXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. 78a XV. Folior. 182. 8. luculente perscriptus et minio decoratus complectitur absque indicatione *Meditationes* olim *Augustini* nomen praeferentes, certe ejus sententiis refertas, quas Editores *Mauriani* ad *Adpend. T. VI col. 107.* ablegarunt, rationibus in *Monito* praevio expositis. Initium est: *Domine Deus meus da cordi meo te desiderare &c.* Textus lectionis varietate non carens *Capitum* loco variis rubricis interstinctus est, et ad calcem habet: *spliciunt meditationes augustini.* A fol. 119. p. 2. sequuntur: *Hore crucis domini nostri ihesu christi. Hore de sancto spiritu et de sancta trinitate.* Possesorem quondam *Lusitanum* fuisse haec pag. ult. verba produnt: *Feria Vta XVI dias de Mayo Anno de mill IIIIXXXI anos na Cidade de Lixboa &c.* De Pace hoc anno cum *Castellanis* in XV. annos inita fermo est.

CCXXXVII. VII. H. 24.

Codex chartaceus hisp. Sec. 753 XVI. Folior. 406. 8. quondam *Seb. Tengnagelii* Bibl. Aug. Praefecti τὰ πολυλογατὰ in-scribitur: *Las Meditaciones de Santo Augustin. Recogidas de Diuersos libros de los antiguos padres.* Con otras meditaciones, Tomadas En la libreria de S. Victor. El Todo Traduzido de lengua Francesa. En

Cccc